



Universitätsbibliothek Paderborn

**Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator
communiter resurget ad justitiam.**

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

Vtrum aequè facilè quis sit dispositus, ut absolvatur, sive tantum habeat
peccata venialia, sive etiam multa mortalia, praesertim consuetudine
inveterata?

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

menti &, dolenti, & deprecanti, & detestanti fa-
cinora sua : atque ut primum est humanæ infir-
mitati magni Dei favoribus excidere , sic restitui
est operosum.

C A P U T V I I I .

*Vtrum &què facile quis sit dispositus , ut absölva-
tur , sive tantum habeat peccata venialia , sive
etiam multa mortalia , præsertim con-
suetudine inveterata ?*

I Nutilis forsan cuiquam hujus quæ-
stionis judicabitur propositio : hebes
quippe est aut rudis , cui non ejus sit
manifesta veritas. Tamen Appendix, ut
in aliis plerisque quæstionibus , ita & hīc
mos gerendus fuit. Cum enim peccato-
ri , non ut ei luberet , sed instanter per-
severanterque petenti , quærenti & pul-
santi poenitentiæ gratiam Manuductio
dixisset esse promissam , atque id paupe-
ris viduæ , atque importuni amici para-
bolis confirmasset : *Contra*, ait Appendix
num. 255. *verum est quod Christus ibidem*
horietur ad instantiam orationis : sed nihil ad
rem : alias sequeretur , idem faciendum illis ,
qui cum solis peccatis venialibus vadunt ad con-
fessionem : nam gratia contritionis &què ipsis est
super-

P E C C A T O R I S . 91

*supernaturalis, & à Deo obtainenda ac maximo
peccatori.*

Verùm illegitimus est à venialibus ad mortalia processus ; aut si quis legitimus sit, assertam à Manuductione doctrinam non evertit , sed confirmat. Illegitimus est , quia mortalium pœnitentia lapsi peccatori & ad agendum est operosior, & ad impetrandum difficultior. Etenim graviora delicta , ut majores offendæ sunt, ita quoque amplius deflenda sunt, & majori animi detestatione abjicienda , quæ dicit August. *Nisi per vehementissimam mole-* Serm. 34.
stiam humiliationis cordis, & contritionis spiri- de div. cap.
tus, & tribulationis pœnitentiæ non relaxari. 12.

Qui verò , ait Hieronymus , levi peccatorum In cap. 2.
sorde maculatus est , levioribus purgatur monitis. Hier.

Deindè dum à mortalibus surgitur , necesse est omnium & singulorum voluntatem deponere , adeò ut verè pœnitens non sit , qui vel uni è gravioribus delictis manet addictus. Non potest esse verè pœnitens, ait S. Thomas , qui de uno peccato pœnitit, & 3. p. q. 86.
non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum ¶. 3.
quia est contra Deum super omnia dilectum
(quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ)
sequeretur quod de omnibus peccatis pœniteret.

§. I.